

ipsa rei veritas à nonnullis eorum grauisimū de vtilitate annotationum nostrarum testimonium expressit. Vtrique auditi, iubemur secedere in proximū & interius aliquod conclaue, in quo videre licebat desertam ouem cum decem lupis, qui tamen illic conclusi, in pauperulam ouē dētes stringere nō auderēt. Reuocamur, vt iudicū sententiam audiamus. Interdicitur illis palàm ne amplius ius illud censoriū sibi in materia fidei vsurpent, quod Episcoporum erat: satis esse, si quando ab Episcopis adhiberentur in consilium, dicere quod sentirent. Episcopis & Cardinalibus traduntur articuli, quos iubentur diligēter examinare: & quæ corrupta esse censuissent, mihi traderētur imprimenda seorsim vel à tergo Bibliorum: vt sic lectoribus caueretur, iuxta imperium Francisci & Henrici Regum. Hæc vbi audierunt Oratores, obscuris susurris fremunt ablatum sibi esse quicquid habebant authoritatis: suas tamen queremonias intus mussitando deuorāt. Fleuisse, vbi erant egressi, testabantur omnes qui tum aderant: sed non defuit consolationis nuntius, qui animos rursus illis inflaret. Nam eorū patronus seor-